

B. M. II, 128.

Λ 14 (X 188 06 92)

II R  
3482

h. 32, 2.

DISPUTATIO JURIS PUBLICI  
DE

# FORO AUSTRAL GARUM,

QUAM

CLEMENTISSIMO NUMINE ANNUENTE,  
AUCTORITATE  
MAGNIFICI FCTORUM ORDINIS  
IN

CELEBERRIMA ACADEMIA BRANDENBURGICA  
P R Æ S I D E

DN. SAMUELE STRYKIO,  
J. U. D. ET NOVELLAR. PROFESS. PUBL.  
DN. PATRONO AC PRÆCEPTORE SUO SUBMISSO  
ANIMI CULTU PROSEQVENDO,

IN AUDITORIO FCTORUM  
IPS. NON. MAIL. A. O. R. clb lbc LXIIX.

HORIS SOLITIS

PUBLICO PLACIDOQVE ERUDITORUM EXAMINI  
SUBMITTIT

WOLFGANGUS CHRISTOPHORUS QVETZ,  
HALA - SAXO.

*Cum Privilegio Sereniss. Elect. Saxon.*

V. I. D. XII.

Sumptibus CHRISTOPH. ENOCH. Buchta / M. DC. LXXIX.





DISTRICTO PUBLICO  
FORO AUSTRIE  
FORO GARRUM  
CLEMENTISSIMO NUMINE ANNI  
DOCTISSIMO  
MAGNIFICENTIA ORDINIS  
ACADEMIA ACADEMIA ACADEMIA  
P. A. S. D. E.

DR. SAMUEL STYKIO  
J. L. ET NOVITARIUS  
DR. PATRONO



PUBLICO BL...  
SUE...  
WORT...  
HALLE-...  
V. D. ...  
M. DC. LXXIX

1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
0  
1  
1  
1  
1







DE  
FORO AUSTREGARUM.

SUMMARI A.

- |  |  |
|--|--|
| 1. <i>Introductio.</i>   | <i>streg. conveniendus? Rationes pro negativa.</i>   |
| 2. <i>Scopus Disputat.</i>   |  |
| 3. <i>Austregarum derivatio.</i>   | 15. <i>Rationes pro affirmativa.</i>   |
| 4. <i>Descriptio Fori Austreg.</i>   | 16. <i>Deciditur questio affirmativè, &amp; respondetur rationi contraria.</i>   |
| 5. <i>Forum hoc originem Consuetudini potius, quam expressæ Imp. Constitutioni debere, asserit Rumelinus: qui refutatur.</i> | 17. <i>Rex Bohemia etiamsi status non sit, ab Austregis tamen non excluditur.</i>  |
| 6. <i>Austregarum Conventionalium descriptio, fundamentum, &amp; quomodo differat ab Austregis Ordinariis.</i>               | 18. <i>Respondetur ad rationem 2.</i>  |
| 7. <i>Austrege Conventionales non sunt unius generis.</i>  | 19. <i>An Rex Bohemia in Camera Imperiali conveniri possit? Aff.</i>   |
| 8. <i>Causa impulsiva Fori Austregarum quanam?</i>   | 20. <i>Except. Nisi Rex Bohemia Austregas Conventionales habuerit.</i>   |
| 9. <i>Qui in foro Austregarum conveniendi?</i>   | 21. <i>An extraneus Principem Imperii coram Austregis convenire teneatur, duæ adducuntur opinioniones.</i>                       |
| 10. <i>Diversitas statuum ratione hujus Fori.</i>  | 22. <i>Quibus respondetur.</i>   |
| 11. <i>Ad primam classem spectant Electores, tam Ecclesiastici quam seculares.</i>   | 23. <i>Decisio controversia.</i>   |
| 12. <i>Idem Principes. Ubi traditur, quinam Principum nomine veniant.</i>  | 24. <i>Ubi Princeps vel Elector à Civitate Municipali aut Cive aliquo privato vel rustico sibi non subdito conveniri debeat?</i> |
| 13. <i>Quinam Principali dignitate fulgentes.</i>  | 25. <i>Ubi Princeps à subdito suo conveniendus?</i>  |
| 14. <i>An Rex Bohemia in Foro Au-</i>  | 26. <i>Principes etiam non regentes in Foro Austregarum conveniendi.</i>   |
|  | 27. <i>II. Classis Ordinum, qui Foro Austregarum gaudent.</i>  |





23. *Quonam casu Ordinibus II. Classis competat Forum Austregarum.*
29. *An ob mortem Pralati vacans Capitulum immediatum Foro Austregarum gaudeat?*
30. *De Nobilibus immediatis.*
31. *III. Classis. An civitates Imperiales Fori Austregarum participes sint? Pro affirmativa.*
32. *Deciditur negativè, & additur exceptio quedam.*
33. *Causæ in Foro Austregarum ventilanda.*
34. *An causæ criminales ad Forum Austregar. spectent?*
35. *Respondetur Limneo dissentienti.*
36. *Limnei Responsio ad l. 1. ff. de off. ej. cui mand. jurisd. examinatur.*
37. *Causas ad Cameram spectantes tantum coram Austregis ventilari debere ostenditur.*
38. *Probatum ulterius opinio §. 34. proposita.*
39. *An causæ matrimoniales ad Austregas spectent?*
40. *An causæ Fendales huc spectent?*

**R** Eipubl. bene constitutæ haud vulgare indicium est, si eadem judiciis publicis optimè fuerit instructa. Hac enim ratione juris cuique sui prosecutio facilius redditur, & subditos quoque sibi obsequentiores habebit Princeps. Quod si inter privatos judicia necessitas efflagitat, multò magis inter illos, qui Potentiorum nomine veniunt, judicia constituisse Reip. conducet. Siquidem hi Martem eligerent arbitrum, si iudicis deficeret autoritas, ac jus suum prosequerentur ipsi. Inde verò quanda incommoda, Remp. ipsam, si non deletura, certe summopere turbatura, oriunda essent, in proclivi est advertere, & superior ætas abundè comprobavit. Sed hoc ut in Imperio nostro facile contingere poterat. dum non servis, quod de Gallia dicitur, sed Principibus hic imperatur; ita id operæ sibi concreditum æstimarunt Sacratissimi Imp. quo non tantum privatorum litibus tollendis remedium quærerent; sed & Principum Imperii controversias tutissima juris viâ sopirent. Constituta ea propter splendidissima Imperii nostri Tribunalia; Judicium Imp. Aulicum: Judicium Cameræ Spirensis & Rothwilensis. Hæc quidem litibus Magnatum decidendis sufficere videbantur, interim non adeò consultum erat, Principum causas gravissimas statim Processibus, ex vitio seculi nostri æternantibus, committere. Hinc saluberrimo remedio receptum, ut Status Imperii in prima instantia Forum quoddam speciale ac privilegia-



legiatum fortirentur, ubi placito quodam ac convento iudicio causæ prius determinarentur: Et hoc est, quod Forum Austregarum appellant communiter.

De hoc Austregarum Foro loco Exercitii Academici agere placuit. Non enim omne jus Austregarum tractare lubuit, quod ab aliis factum esse non ignoramus: Sed Forum ipsum tantum lustrare animus est. Et ut intra cancellos non contineamus, de duobus potissimum dispiciendum erit. (1.) Quænam personæ privilegiato hoc Austregarum Foro gaudeant; & (2.) An omnes causæ inter status Imperii motæ in hoc Foro ventilari possint. Pauca tamen de origine ac Natura Austregarum præmississe, haud inutile fore arbitramur.

De voce Austregarum non laborabimus: Eandem enim minus latinam esse confitentur omnes; sed tamen ob hanc rationem idem nomen abolendum esse, nunquam statuerint prudentiores. Satis rem ipsam exprimit vocabulum, si originem penitus inspexeris. Germanum enim ortu est: & merito; Cum & Germani Imperii Statibus hoc Forum concessum, & à Germano quoque Principe seu Imperatore, quod postea videbimus, promulgatum. Quid vero Germanis *Austrag* / vel quod in hac materia frequentius est *die Austräge* significet, nemini nisi in Germania peregrino ignotum erit. Idem enim est, quod compositio, disceptatio, rei controversæ decisio. Quod significatu non insolita in foro nostro pronunciandi formula *bis zu Austrag der Sachen* / qua litis pendentiam vel declaramus, vel petitem ad litis prioris decisionem usque à iudicio repellimus. Hac autem intentione Forum Austregarum constitutum, ut lites Statuum Imperii in eo componantur ac decidantur; *Das etliche dem Heil. Röm. Reich ohne Mittel unterworffene Glieder ihre zusammenhabende differenz Irrung und Zwenung gegen einander / vermittelst derselben / nach Maas und Weis in den Reichs-satzung vorgeschrieben / rechtlich austragen oder beylegen sollen.* *Besold. Thes. Pract. sub voc. Austräge.* Dum ergò de significatione vocis constat, ad ejusdem mutationem ut recurramus, necessum non est. Non admittimus enim opinionem *Guil. Röding. Pandect. Cameral. lib. 1. tit. 4. c. 1.* ubi Barbarum & latinis auribus inauditum Austregarum vocabulum asserit: Unde pro iudicibus Austregarum iudices ordinationis vel iudices ex Conventione dicere mavult: Non enim hæ ap-



pellationes æquè commode, quod facere debebant, exprimunt negotium. Et si à Germanis ad Latinos voces traducere piaculum esset, ipse Cicero in vernaculam suam injuriosus extitisset Græca pro Latinis usurpando *Add. Jac. Blum. Proc. Cam. tit. 27. n. 3.*

- 4 Ex vocis ergo significatu, quid rei subfit, facilè apparet. Scilicet *Forum Austregarum est judicium, in quo causæ certorum Ordinum Imperii controversæ ex concessione generali Imperatoria coram Judice ad id electo in prima instantia deciduntur.* Ita Austregas describere lubuit; quanquam si omnibus Austregarum speciebus applicanda foret definitio, vix ubivis quadraret; suffecerit tamen nobis, harum Austregarum Forum, de quo hic agere instituimus, leviter adumbrasse. Membra descriptionis fusius explicare propositi ratio non permittit. Imo pleraque fere per se patent. Posteriora quidem modum Processus Austregarum determinant, de quo hac vice nihil. Priora vero competentiam Fori innuunt, personas sc. hic conveniri solitas; Et causas quoque in hoc foro ventilandas, de quibus postea; media descriptionis verba Auctoritatem Austregarum & Originem innuunt, de qua paucis.

- 5 Originem itaque Fori Austregarum quod concernit, non una Dd. hac de re sententia est. *Martin. Rumelin. ad Aur. Bull. p. 2. Dissert. 1. in append. th. 1.* Consuetudini potius, quam expressæ Imp. Constitutioni originem hoc Forum debere putat. Ast non facilè ad consuetudinem recurrendum, quotiescunque de expressa Imp. decisione apparet. Talis verò hic adest, dum à Carolo V. Imp. forum Austregarum ipsi Maximiliano I. manifestò adscribitur, quod ille hoc forum Anno 1495. constituerit, uti videre est ex privilegio Caroli V. d. 6. Julii Anno 1540. Civitati Noribergensi ratione primæ instantiæ concessio, cujus verba recenset *Rumelin. d. loc. Limneus de J. P. lib. 9. c. 5. num. 6.* Nec valida regeatio est, quam urget Rumelinus; In Constitutionibus Imperii id haud rarum esse, quoties de Jure aliquo confirmando agitur, priorum Constitutionum vel etiam Consuetudinum mentionem omittere: quod & ab ipso Maximiliano I. in Ordinat. Cameral. Wormaciensi de Anno 1495. forsàn factum est. Ast conjecturis non militandum, ubi rerum testimonia adsunt. Non hoc dixisse sufficit, sed probasse opus est. Autor *der Donawertischen information part. 1. fol. 146.* jam tempore Maximiliani I. in usu fuisse Elektorum



Etorum & Principum Austregas, à Maximiliano verò tantum in ordinem redactas, asserens, tantum pro Rumelino non merebitur fidem. quantam pro nostra opinione ipse Carolus Vtus Imp. Ut taceam eundem Autorem hoc forsàn decepisse, quod in dicta Constitutione Maximiliani habetur; Welche sonderliche gewillführte rechtliche Austräge wieder einander haben/ der sollen sie sich laut derselben gegen einander gebrauchen/ quibus verbis ad præteritum se revocat Maximilianus; Sed inde malè ad Austregas nostras ducitur argumentum; Toto cælo siquidem differunt inter se, ut Posit. seq. monendum. Imò contrarium exinde collectu facillimum foret; si enim Imp. Austregarum Conventionalium mentionem facit, easdemque jam ante eam constitutionem fuisse asserit; de privilegiatis vero Austregis ante ipsius tempora observatis nihil meminit; probabiliter inde colligitur, harum usum antea non fuisse.

Cæterum quid per illas Austregas Conventionales, quas die gewillführte Austräge Maximilianus inibi vocat, intelligatur, paucis observandum; Unde insimul, quid inter easdem & has nostras privilegiatas, seu Austregas Ordinationis intersit, facile apparebit. Austregæ Conventionales nihil aliud sunt, quam certa Statuum Imperii conventa judicia, quæ privato quodam placito constituta habent. Harum Austregarum auctoritas ex sola conventionione dependet; Quanquam enim has Imp. Maximilianus *cit. loc.* confirmasse videatur; potius tamen easdem ex conventionis vigore, quam ex Imperatoriâ ordinatione determinari voluit. Unde expressè inibi dicit Imp. der sollen sie sich laut derselben gegen einander gebrauchen. Ex quo duohæc colligi posse videntur. (1.) Modum procedendi in foro Austregarum conventionalium non esse petendum ex natura Austregarum Privilegiatarum se Imperatoriarum; sed tantum ex tenore pacti conventi eundem determinandum; quod verba Maximiliani laut derselben satis clare innuunt. (2.) Jus constituendi Austregas conventionales non tantum immediatis imperii membris, quod tamen velle videtur *Blum. P. loc. Cam. t. 27. num. 188.* Sed etiam reliquis illustribus Familiis mediate imperio subjectis competere. Siquidem hoc jure communi privatis concessum, si lites inter eosdem subortæ, quod non statim ad Forum ordinarium recurrere teneantur, sed ipsi sibi iudicem constituere poterunt, qui negotium hoc controversum decidat. Et quamvis hoc in privatorum potestate non sit, jurisdictionem

ean.



eandem non habenti concedere *l. 3. C. de Jurisdic.* Attamen per compromissum invicem se adstringere possunt litigantes; quod arbitrio boni viri à se eligendi causam submittere velint, & hoc favore litium finiendarum utique approbatur *L. 1. §. 3. ff. de Recept. arbitr.* Causæ tamen compromittendæ habilitatem non excluderim; Hæc enim si privatorum arbitrio exempta, nec compromissum desuper ullius efficacitæ erit. Pertinet huc inter alia causa criminalis *L. 32. §. 6. ff. d. t. Matrimonialis c. pen. X. de in integr. restit.* Liberalis *d. l. 32. §. 7.* Beneficialis *arg. c. 1. de R. J. in 6.* Alios casus habet *Zæsius ad ff. d. t. num. 16.* Inde hoc infallibili consequentia derivari posse non dubitaverim; Scilicet. Quodcunque juris est privato in constituendo arbitro; idem juris est Familiis illustribus mediate Imperio subjectis, in constituendis Austregis, modo de talibus causis Austregæ conventionales constituantur, de quibus compromitti potest. Non dubiam arbitror hujus propositionis connexionem, cum Austregas conventionales à compromissis parum, imò fere nihil differre expeditum sit; quo intuitu etiam *gewilfährte Austräge* ab Imp. Maximiliano appellantur. Et ex eodem principio dependet quæstionis hujus decisio, an Judices in Austregis conventionalibus constituti sint Arbitri an Arbitratores? ubi si ex conventionis tenore contrarium non apparet, in dubio arbitros electos præsumi putat *Frid. Lent. de Privileg. immed. S. R. J. Procerum instant. c. 2. th. 5.* Ex quibus omnibus evidens est, Forum Austregarum Conventionalium à Foro Austregarum Ordinationis in eo differre, quod illud tam quoad jus conveniendi, quam ad modum procedendi, sit meræ conventionis ac privati arbitrii, adeo quidem, ut nec Imp. consensum ad id forum constituendum necessarium existimaverim, modo causæ qualitas non repugnet. Hoc verò priori modo ex privilegio speciali competat, posteriori ex ordine Constitutionis Imperatoriæ dependeat. Cæterum Austregas Conventionales multorum Imperii Statuum collectas vide apud *Schubhard. de Austreg. cap. 8.*

7 Nec tamen Austregæ conventionales unius generis sunt, sed prout vel inter unam, vel inter diversas Familias idem constitutum, distinguuntur. Nam Austregæ conventionales in specie ita dictæ sunt illæ, quæ inter diversas familias constituuntur, ad lites inter easdem ortas, sopiendas, quæ ea propter *bedingte Austräge* appellari solent. Quæ vero Austregæ ist una quadam familia constitutæ sint, ad deter-



determinandas lites in eadem ortas, illæ communiter Stamm-Austräge dicuntur, quæ etiam haud raro Erb-Austräge vocantur, quoties sc. hoc pacto statutæ, ut perpetuo in illa familia observentur. Tales Austrægæ in Familia Ducum Saxonie constitutæ reperiuntur, quamvis easdem circa annum 1554. d. 24. Febr. Carolus V. Imp. confirmaverit; quam confirmationem tamen, prout superius dictum, potius ex abundantia, quam ex necessitate factam existimarem. Tenorem hujus conventionis qui legere amat, adeat *Limn. d. J. P. lib. 5. c. 15. n. 4.* Eadem quoque ratione in Familiis Palatina & Hassiaca Austrægæ constitutæ: quæ ipsæ Conventionales Austrægæ per privilegiatas illas minime tolluntur, prout expresse dispositum *Ordin. Camer. pag. 2. r. 2. pr.* ubi tunc demum ad privilegiatas recurritur, si conventionales deficient. *Petr. Frider. de Process. lib. 1. cap. 19. num. 2.*

Antequam verò ad Austregarum diversitatem ex diversitate 8  
Ordinum imperii oriundam, transeam, operæ pretium erit, causam impulsivam ad hoc Austregarum Forum constituendum permoventem, brevibus præmississe. Scilicet potissima hæc est, quod Imperatori quasi indignum visum fuerit, Status Imperii statim in prima instantia in Camera Imperiali conveniri, & inibi causas ipsorum gravissimas, quales plerumque sunt, dubio processus eventui exponi: Hinc consultum erat, inferiorem quandam concedere instantiam, ubi vel amicabili compositione, vel legitima litis finitione causa decideretur; quod si hac ratione alter Statuum se gravatum persentiscat, sat citò ad imperialem Cameram dabitur recursus. Non itaque Proceres deteriores conditionis esse debebant, quam inferioris subsellii subditi, quibus tamen variæ instantiæ in litibus non adeo magni momenti concessæ *Nic. Myler. in addit. ad Rumelin. P. 2. disp. 1. ad A. B. in append. 1b. 1. Theod. Reinking. de Regim. Secul. & Eccles. lib. 2. clas. 2. c. 16. num. 6.* Quæ ultima ratio commode probari potest ex Privilegio Austregarum Civitati Noribergensi à Carolo V. concessò de Anno 1540. §. darauff dann / ubi hæc leguntur verba. Damit sie zum wenigsten zu Instanz und ihnen die Gutthat und Hülffe der appellation als wol als den jenen / so dem Reich nicht ohne Mittel unterworffen / vorbehalten und unbenommen bleib / Quod privilegium integrum videre est apud *Paul. Matth. Wehner. Tract. de modo appelland. in Cam. cap. 7. num. 34. sub Noriberg. priv. 4.* qui Tractatus constituit Tomum VII. Symphore-



matum Adriani Gylmanni, hinc hujus nomine alias communiter allegatur. Cæterum alias præter adductas dari posse rationes, quæ Austregarum Constitutionem suaserint, præsertim, quod in Camera tot litibus onerata tam cito expediri negotia non possint, ac in Foro Austregarum, facile dederim *Limneo de J.P. lib. 9. cap. 5. num. 37.* Prior tamen vel sola etiam, pro Austregarum Foro constituendo suffectura erat.

9 His ita generaliter de Austregarum Foro præmissis, de his, qui in hoc Foro conveniri possint vel debeant, subjiciendum. Expressimus hoc in genere in data Austregarum descriptione, ubi dictum, quod certi ordines Imperii hoc foro gaudeant. Alii specialius hujus fori participes determinant, dum Status Imperii immediatos indistincte huc vocant. Sed vix hoc admittendum videtur. Sunt enim aliqui, qui Foro Austregarum gaudent, qui tamen Status imperii non sunt. Sunt vero alii, qui quidem Status Imperii sunt, Fori tamen Austregarum compotes non sunt; quod inferius quoad Civitates Imperiales & quoad Nobiles Imperii immediatos suo loco monendum. Ordinis ergo vocabulum retinere malui, quod illis etiam rectè applicari posse, qui Status non sunt, nullus dubito; quam hæc inter se etiam haud rarò confundi facile largiar. Ideoque speciatim videndum, quinam illi Ordines sint, qui in Foro Austregarum conveniendi.

10 Certior vero determinatio nobis hoc passu non dabitur, quam quæ in ipsa Ordinatione Camerali p. 2. habetur, & ex collatione Rubricarum tit. 2. 3. & 4. dict. p. 2. colligitur. Vor welchen Richtern/Churfürsten/Fürsten und Fürstmäßigen/Prælaten/Grassen/Breven/Herren/die von Adel/die dem Reich ohne Mittel unterworfen/einander zu recht fodern sollen. Ordine vero hos Ordines lustrabimus, qua ratione quisque eorum coram Austregis Forum sortiatur. Et ut confusionem evitemus eò facilius, lubet ex præfatis ordinibus duas formare classes. In prima collocabimus Electores Principes ac Principali dignitate fulgentes. In secunda Prælatos, Comites, Barones & Nobiles. Tertio vero Civitates Imperiales, an hæc quoque hoc foro privilegiato gaudeant, lustraturi. Non enim omnes hæc classes ex æquo Forum Austregarum pro competenti agnoscunt, sed pro diversitate illorum, à quibus conveniuntur, diversimode.



Primæ Classi adscripti indubie omni casu in Foro Austregarum conveniendi, siue actor sit æqualis dignitatis, siue inferioris. Hinc si Electori cum Electore lis sit, si Princeps Principem alium convenire velit, in Foro Austregarum actionem intentare debebunt. Itidem si Princeps vel Elector conveniendus sit à Comite, Barone, vel Civitate Imperiali, perinde ad Austregarum Forum recurritur; hoc tantum discriminis servato, quod posteriori casu aliter ac priori procedatur, sicut videre est ex octo illis remediis posteriori casu præscriptis in *O.C. part. 2. § 4.* Et hæc ipsa non tantum ad Electores seculares, sed & Ecclesiasticos extensa volumus. Generaliter enim hoc Forum Electoribus concessum, unde Ecclesiasticis non sine injuria denegaretur. Et facit huc textus expressus in *O.C. p. 2. tit. 2.* ubi sæpius repetitur *Geistlichen oder Weltlichen*; ubi tamen quoad Electores Ecclesiasticos causæ aptitudinem non excluderim.

Principes Imperii quod attinet, hi quoque quoad Forum Austregarum in prima classe collocantur. Principes autem partim illi dicuntur hoc nostro casu, (nam aliàs præsertim in Jure Justiniano nomen Principis regulariter Imperatorem denotat *L. Princeps 31. ff. de LL. L. 4. C. d. t. L. 1. ff. de Const. Princ.* Hinc nec hodie titulum Principis deposuit Imp. uti ex inscriptionibus cuivis manifestum) qui hoc nomine in Imperio tantum insigniuntur, insuper verò neque Duces neque Marchiones sunt. Hujus generis in Imperio est Princeps Anhaltinus, qui neque Dux neque Marchio *Theodor. Reinking. de Regim. Secul. & Eccles. lib. 1. class. 4. c. 8. num. 8.* Alii vero sub Generali Principum appellatione veniunt, ut Duces Marchiones & Landgravii. Unde *Reinking. d. 1. num. 12.* observat; Omnem Ducem, Marchionem, Landgravium in Germania usurpare titulum Principis, præter titulum Ducatus, Marchionatus &c. non tamen omnem Principem, se Ducem, Marchionem vel Landgravium appellare posse *Add. Limn. de J. P. lib. 4. c. 2. num. 7.* Præferendos tamen hos esse illis, qui Principes tantum sunt vult *Matth. Steph. lib. 2. de Jurisd. P. 1. c. 6. num. 53.* Quoad Forum vero Austregarum nihil interest, sed æquali invicem jure gaudent.

Insuper ad primam Classem non tantum qui revera Principes sunt, referuntur, sed & illi, qui Principali dignitate pollent, vel dignitate tali, quæ Principibus comparari possit, gaudent, qui in *O. C. Fürstmäßige* appellantur. Huc spectant Comites illi, qui ad principalem



palem dignitatem evedti *Gefürstete Graffen*/quales sunt Comites A-  
 fcaniæ, Burgundiæ, Croatiæ &c. teste *Jac. Blum. Proc. Cam. tit. 27. n. 32.*  
 Comites Mansfeldiæ, teste *Paurmeister lib. 2. de Jurisdiet. c. 10. num. 21.*  
 Talis est etiam Comitatus Gorzensis, hinc in *Recess. Imp. de Anno 1576.*  
 §. Nachdem auch auff jeko hoc nomine insignitur, die Fürstliche Graff-  
 schafft Görz. Tales autem Comites in actis imperii sub appellatio-  
 ne der Fürstmäßigen comprehendi, testatur *Reink. d. class. 4. c. 14. n. 29.*  
*Limn. d. lib. 4. c. 4. n. 92.* Huc quoque referuntur Domini illi, qui Prin-  
 cipes sunt, vel iis æquiparantur; ad horum numerum referuntur Do-  
 minus Rostochiensis, Stargardiensis, Frisiæ, Marchiæ Venetorum seu  
 Vandalorum &c. quos & plures ex *Goldast. Const. Imp. Tom. 1. p. 19. recen-*  
*set Blum. d. t. 27. n. 33.*

14. Antequam vero ad secundam classem transeam, dubium unum  
 & alterum prius decidendum. Et quidem primo de Rege Bohemiæ  
 quæritur, an hic, si ab alio Electore vel Principe conveniendus, per-  
 inde ad Forum Austregarum provocare possit? difficilis hæc quæstio  
 reputatur merito, dum Dd. qui circa materiam Austregarum occu-  
 pati, eam vel verbo tangunt, vel plane omittunt; Nec desunt dubi-  
 tandi rationes & pondere & numero gravissimæ; inter quas duas ha-  
 sce ut Palmarias adducere licebit (1.) Quod Rex Bohemiæ non sit  
 Status Imperii, cum votum ac sessionem in Comitibus Imperii univer-  
 salibus non habeat. nec ad ea vocetur, imo nec Circulo alicui sit addi-  
 ctus, neque contributionibus aliisque Imperii oneribus sit obnoxius  
*Marquard. Freher. in not. ad Petr. de Andlo de Imper. Rom. lib. 2. c. 2. p. m.*  
*156.* quod & patet ex gravaminibus in Comitibus Augustanis Anno 1584.  
 exhibitis; ubi inter alia hæc leguntur: Zu dem daß ein König in Böh-  
 men zu einigen Reichs = Tags nicht beschrieben wurde / auch weder  
 Stand noch Stimme im Reichsrath hätte &c. quæ gravamina videri  
 possunt apud *Dn. Carpz. de Leg. Reg. Germ. c. 5. Sect. 9. num. 22. Limn.*  
*de J. P. lib. 3. c. 8. num. 28.* Unde etiam plerique Juris Publici Doctores  
 numero Statuum Imperii Regem Bohemiæ excludunt *Joh. Theodor.*  
*Sprenger. Jurispr. Publ. p. m. 259. Reinking. de R. S. & Eccl. lib. 1. Class. 4. c. 3.*  
*num. 36. Dominicus, Arumeus de Comit. Imper. c. 4. num. 45. & seqq. Nicol.*  
*Myler. in addit. ad Rumelin. p. 2. ad A. B. dissert. 3. th. 4. lit. C. in fin.* Altera  
 dubitandi ratio hæc esse poterat, quod Rex Bohemiæ constitutioni-  
 bus Imperii non teneatur, uti apparet ex *Recess. Imp. de Anno 1551. §.*  
*Serner haben wir & seq. ubi Constitutionem Imperii monetariam*



Rex Bohemiæ precibus ad Imper. adductus demum recipit. Si ergo nec Status Imperii est, nec Constitutionibus ejusdem tenetur; valido consequentiæ nexu exinde promanare videtur, quod nec Foro Austregarum obnoxius sit idem; quam sententiam fovet *Frid. Lentius de Privil. immediator. S. R. J. Procerum instant. c. 4. th. 29.*

Non desunt tamen quæ ex adversa parte præfatis opponi possint rationibus. Etenim Forum Austregarum generaliter Electoribus concessum esse, sine restrictione ad hos vel illos ex ordinatione Camerali evidens est. Non ergo horum numero Rex Bohemiæ excludendus, parum movente *Speculo Saxonico lib. 3. art. 57.* Der Schenk des Reichs hat keine Wahl/darum daß Er nicht Deutsch ist/cum potius standum sit textui expresso in *A. B. t. 4. §. zum Dritten* ubi Regi Bohemiæ tertium in Electione Imperatoria votum, & inter Electores seculares primum conceditur. Unde facile quoque illorum collabitur dogma, qui Regi Bohemiæ, non nisi dissentientibus aliis, septimum in Electione suffragium competere contendunt, quos notat *Gerlac. Buxtorff. ad A. B. th. 49. lit. a. & b. Arumens discurs. 5. ad A. B. th. 2.* Deinde & Rex Bohemiæ est Princeps Imperii. Ita enim Wenceslaus Bohemius Rex de se scribere veritus non fuit, *Nos Wenceslaus DEI Gratia, Rex Boemia, Dux Cracovia & Sandomiria, Marchioque Moravia, Sacri Imperii Romani Princeps & Pincerna.* Bullam integram cui hæc inscriptio præmissa, recenset *Christoph. Geuvold. de Septemvirat. S. R. Imp. c. 9.* Si ergo Princeps Imperii est, Foro etiam Austregarum pro Principibus constituto gaudebit. Accedit tertio & hoc, quod Regnum Bohemiæ sit Imperii feudum, & Reges Bohemiæ sint Vasalli Imperat. Romani, ac pares Curia Imperialis, eidemque juramento fidelitatis obstricti *Gerl. Buxtorff. ad A. B. th. 88. lit. c.* Quorsum inter alia facit juramentum Matthiæ Regis Hungariæ & Bohemiæ, in requisitione pro investitura Regni Bohemiæ Rudolpho II. Imp. Anno 1611. oblata: *Dagegen bin ich erbötig / gewöhnliche Gelübde und Eyd zu præstirn / Euer Kayserslichen Majestät / und dem H. Römischen Reich um solche Verleihung getreu / gehorsam / und gewertig zu seyn / Euer Kayserslichen Majestät für meinem rechten Lehn-Herrn zu halten / und alles zu thun / was einen Erbschencken und Chur-Fürsten des H. Römischen Reichs zu thun von Rechts und alter Gewonheit wegen gebühret / sicut hoc re-*

15



fert *Dn. Carpzov. de Leg. Reg. German. c. 5. Sect. 1. num. 18.* Huc spectat etiam Bulla Friderici Imp de Anno 1212. Statibus Bohemix concessa, ubi hæc leguntur verba: Wollen demnach / daß ein jeder / so von ihnen zum König erwöhlet wird / zu uns und unsern Nachfolgern gebührender Weise seine Regalia empfangen soll. Uti videre est apud *Sprenger. in Jurispr. Publ. p. 258. Wilhelm. Becker. de J. Publ. l. 3. c. 7. §. 11.*

16 Ex his & aliis rationibus, quas adducere super sedemus, probabilior nobis opinio videtur, etiam Regem Bohemix privilegiati Austregarum Fori participem esse. Cujus sententix ad stipulatores habeo *Melch. Goldast. de Jur. Regn. Bohem. lib. 4. c. 13. n. 13. p. 531. Limn. de J. P. lib. 9. c. 5. num. 18.* Ad quod infringendum rationes Posit. 14. adductæ imbelliores sunt, ac primo obtutu videbantur. Primam enim quod attinet, Regem Bohemix non esse Statum Imperii, nondum hoc sufficienter probatum, & ut *Limn. de J. P. lib. 3. c. 8. num. 22.* arguit affirmative quidem procedit argumentum. Quicumque ad Comitata votum & sessionem habet, est Status Imperii; non tamen statim negative; qui ad Comitata non vocatur, nec in illis votum & sessionem habet, non est Status Imperii: Cujus diversitatis ratio in eo latitat; quia Statui alicui singularis privilegii loco ab Imperio concedi potest, ne necessum habeat in Comitibus comparere; unstantiæ enim loco Familiam Austriacam produceremus, cui perinde remissum, quo minus in Comitibus sistere teneantur; Statuum numero tamen non excluditur, quod probat *Limn. d. c. 8. num. 23.* ubi ulterius adducit testimonium Electorum, qui Regem Bohemix expressè Statum Imperii appellant. Hinc Doctorum etiam haud pauci sunt, qui Regem Bohemix Statibus annumerandum esse, acriter defendunt, *Goldast. lib. 3. de Jur. Regn. Bohem. c. 3. n. 4. Christoph. Geweld. de Septemvirat. c. 9. in fin. Tob. Paurmeist. de Jurisd. l. 2. c. 1. num. 17. Paul. Matth. Wehner. Obs. Pract. voc. Stand des Reichs Matth. Stephan. de Jurisd. l. 2. p. 1. c. 4. num. 97.*

17 Sed necessum non est, ut huic Controversiæ inhæreamus diutius. Sit Status Imperii sive non sit, parum hoc ad decisionem præsentis quæsti conducet; An Rex Bohemix gaudeat Foro Austregarum? Nunquam enim concesserim consequentiam hanc: Q. non est Status Imperii, ille non gaudet Foro Austregarum. Nam sic inferre liceret; Nobiles immediati non sunt Status Imperii, dum votum



tum & sessionem in Comitibus non habent. Ergo non gaudent Foro Austregarum. Forum enim hoc non Statibus in univ[er]sum concessum, vel tantum Statibus; Sed certis Imperii Ordinibus immediatis in Ordinat. Cameral. expressis. Ergo sequenti modo rectius formabimus ratiocinium: Quicumque non continetur inter Ordines in Ordinatione Camerali expressos, ille non gaudet Foro Austregarum; Atque jam si subsumpseris de Rege Bohemiarum, aperte negabo minorem; Hunc enim Electorum appellatione venire, nemo sanus dubitabit, ob expressum Caroli IV. in *A.B.t.4.* decisum.

Magis stringere videbatur altera dubitandi ratio in *Posit. 14.* ad-<sup>18</sup> ducta, quod Constitutionibus Imperii Rex Bohemiarum non teneatur; ut per consequens nec ad Forum Austregarum, per Constitutiones Imperii constitutum, sit admittendus. Sed & ad hanc rationem responsio ex praefatis dependebit. Singularis enim privilegii loco hoc Regi Bohemiarum concessum, quod nec in Comitibus comparere, nec per consequens Constitutionibus Imperii parere teneatur, *vid. A.B.t.7. in fin. § 1. 8.* Jam vero quod favore alicujus constitutum, in odium ipsius detorqueri juris ratio non patitur *L. Quod favore 6. C. de LL.* Quod tamen hoc casu contingeret, si Rex Bohemiarum neque in favorabilibus Constitutiones Imperii sibi applicare posset. Imò sic deterioris conditionis foret, quam reliqui Electores Seculares, qui Foro Austregarum gaudent, quos tamen Rex Bohemiarum & dignitate Regali & voto praecedit *A. B. tit. 3. §. 3. um Dritten* unde sine ratione dissentire videtur *Frideric. Lent. de Privilegiat. instant. cap. 4. th. 30.*

Sed ne frustraneus videar, in Foro Austregarum Regi Bohemiarum<sup>19</sup> tribuendo, relicto interim hujus Fori fundamento, quaestio haec praesudicialis negligenda non videtur; An Rex Bohemiarum in Camera Imperiali conveniri possit? De hoc enim si non constiterit, otiose de Foro Austregarum solliciti erimus; Nam si plane in Camera conveniri nequit, quid opus esset, eidem beneficium Austregarum adscribere velle; Hoc enim ad declinandum illius judicium in prima instantia tantum introductum. Et primo negandum hoc videbatur, ob solenne illud privilegium Regi Bohemiarum in *A. B. t. 8.* concessum; ubi tam jus de non appellando, quam de non evocando eidem indultum, Quicquid tamen hujus rei sit, connexio consequentiae hujus laborare videtur; ille habet jus de non evocando & de non appellando, ergo



in Camera Imperiali conveniri nequit. Instantiæ enim connexionis præfatæ vitium detegentes deficiunt minime. Reliqui Electores ad unum omnes in *A. B. t. II.* eadem privilegia nacti fuere. Ipsos tamen Electores, hoc privilegio non attento, in Camera conveniri posse, consentiunt plerique, inter subditos Electorum & ipsos Electores distinguentes. Subditi quidem ob præfata Electorum privilegia in Camera conveniri nequeunt, nec extra territoria Electorum ad aliud forum evocari. Electores vero ipsi ab aliis conventi, in Camera sine dubio, Austregas enim hic interim sepono, Forum sortientur *Dominic. Arum. discurs. 5. ad A. B. Concl. 19. Thomas Michael. de Jurisd. Concl. 26. lit. e.* Unde merito ad Regem Bohemiæ inferre licebit, eundem licet privilegio quoad Subditos gaudeat, quoad personam propriam tamen, quia ad Ordines Imperii immediatos sine dubio referendus, in Camera Imperiali se sistere tenebitur, sicut hoc ex præjudicio aliquo Camerali colligit *Gerlac. Buxtorff. ad A. C. Concl. 88. in fin.* quem postea in hac opinione secutos video *Melch. Goldast. de Regn. Bohem. lib. 4. c. 13. num. 11. Limn. de J. P. lib. 3. c. 8. num. 18. in not. & ad A. B. c. 8. Observat. ult. Bernhard. Bertram. de Comit. Imp. Rom. Germ. thes. 31. in fin. apud Arum. vol. I. discurs. 9. Rumelin. ad A. B. P. I. Diff. 8. th. 4. vers. porro.* A quo non alienum est exemplum Ottonis IV. in Comitibus Noricis de Anno 1212. deponentis Regem Bohemiæ coram Statibus Imperii accusaverat, in ejus locum surrogantis, referente *Christoph. Lehman. Chron. Spirens. lib. 5. c. 74. p. m. 575.* quod ipsum quoque Jurisdictionis Imperatoriæ in Regem Bohemiæ haud leve indicium est; quanquam modernum Regni Bohemiæ Statum ab illo, qui tunc temporis erat, haud parum differre, lubentissimus fatear.

20 Si itaque alicui Electorum cum Rege Bohemiæ lis sit, non statim conveniendus Rex Bohemiæ in Camera foret, sed hic quoque ad privilegiatum Austregarum Forum, Electoribus generaliter indultum, provocare posset. Hoc tamen sub hac generali limitatione, semper intellectum velim; nisi inter Regem Bohemiæ & Principem à quo lite pulsatur, Austregæ conventionales fuerint statuta, quarum in decidendis controversiis prior ratio habetur, quod jam superius dictum. Talis conventio adest inter Regem Bohemiæ & Serenissimos Marchiones Brandenburgicos, qua cautum, quod lites seu controversiæ motæ inter Regem Bohemiæ & Domum Brandenburgicam coram Consiliariis ex utraque parte deputatis ventilari ac de-



terminari debeant; quod refert *Michael Schiferer de Orig. & Potest. Elector. Concl. 69. apud Arum. vol. 1. Discurs. 18.*

Cæterum illud hoc casu negligendum minimè: an Status Imperii quos in prima Classe locavimus, hoc tantum Foro Austregarum gaudeant, si ab alio Imperii membro conveniantur: an vero etiam si ab extraneo quodam Principe vel Rege, qui Imperio Romano non subiectus, lite pulsentur? Doctores hic quoque in diversa transire castra adverto. Aliqui existimant, extraneum seu extra Imperium constitutum, si Principem Imperii in jus vocare velit, rectà eundem in Camera Imperiali convenire posse: Pro quo corroborando hac utuntur ratione: Quod Austregæ sint stricti Juris, & propterea extra casum in ordinatione expressum non extendendæ, cujus sententiæ est *Matth. Stephan. de Jurisdic. lib. 2. P. 1. c. 3. memb. 3. num. 25. & seq. Petr. Frider. Mindan. de Proces. lib. 1. c. 17.* Aliam sententiam fovet *Vultej. ad L. 1. C. ubi Senator vel Clariss. num. 44. & post eum Ludov. Gilhaus. Arber. Jud. c. 1. P. 1. §. 8. num. 4. in fin.* existimans, quod extraneus non necesse habeat Principem Imperii convenire coram Camera Imperiali, sed coram Imp. utpote de jure communi Principis istius Judice ordinario; Nec habere Principem jus revocandi ad Forum Austregarum; cum extraneus ordinatione Imperii non teneatur. Utramque hanc sententiam conjungit *Jlico Umm. de Proc. Disp. 4. Conclus. 9. thes. 44. in fin. & vel in Camera, vel coram Imperatore processum instituendum esse, monet.*

Non tamen hujus efficaciam sunt præfatæ opiniones, ut applausum mereantur. Prior enim sententia ratione nulla suffulta. Stricti juris enim Austregas esse, hoc in genere non admiserim; Potius latiore eadem mereri interpretationem, cum beneficium continent existimaverim *L. 3. ff. de Const. Princ.* Insuper in quavis Legum explicatione nõ verba captanda, sed mens potissimum attendenda *L. 17. ff. de LL. quænam ratio sc moveri Legislatorem* Hæc vero in Foro Austregarum constituendo ea fuit; ne Principum Imperii causæ gravissimæ unius instantiæ periculo subjicerentur, de quo in *Posit. 8.* Atqui idem hoc militat in Extraneo litem adversus Imperii Principem movente; Ergo nec hic primæ instantiæ beneficium auferendum. Ut taceam iniquum fore Extraneos actores pluribus maculare privilegiis, quam indigenas, cum tamen pro his indigenatus favor militet maximopere. Vultejii opinio perinde nec ponderis multum



sub se habet. Extraneum enim Ordinatione Imperii non teneri largior facilis; Hoc tamen si simpliciter quis asseruerit, manifesto falsum pronuntiabo. Non tenetur Ordinatione Imperii extraneus, quatenus de eo vel constringendo vel obligando extra Imperium sermo vertitur. Tenetur tamen Ordinatione Imperii quatenus eadem cum Cive Imperii negotium est. Imo non hic de extraneo ad Ordinationes Imperii adstricto, sed de Cive Imperii propter extraneum Foro suo non privando, quaestio est.

- 23 Hinc quomodo decidenda quaestio, fluit sua sponte. Scilicet Principi Imperii sive ab alio Imperii Principe, sive ab extraneo Rege vel Principe conveniatur, Forum Austregarum indistinctè concessum esse. Quamvis enim quo ad verbum hoc in Ordinatione Camerali non reperiatur; Rationis tamen identitas hoc abunde evincit, quæ hic certe non negligenda. Deinde verò, quia hic Casus Jure Camerali non expressus, sine dubio recurrendum ad Jus Commune. Jure Communi autem tralatitium est, Actorem sequi Forum rei *cum sit* 8. X. de For. Comper. quod pluribus textibus & Auctoritatibus corroboratum vide apud *Barbos. Locupl. lib. 1. c. 24. axiom. 6.* nec enim actoris conditio forum rei ordinarium mutat. Quapropter & illustris persona oppidani Judicis deflectere nequit Jurisdictionem, si cum Cive illius Oppidi litigandum, quia Rei conventi in Processibus potissima habetur ratio. Nec quoad privatas personas distingui solet in judiciis: an actor ex eadem Provincia sit; an vero extraneus; nihil enim hoc mutat modum procedendi. Unde etiam extraneus Actor statuta particularia illius fori, ubi reus degit detrectare minime potest. Quorsum refero, quod in simili ferè rescripsit Imp. in *L. 1. C. ubi in rem act. sc.* Jurisdictionis formam, propterea, quod in alia provincia consistat auctor, non debere immutari. Nil ergo rationis subesse video, quare non parili ratione Forum Austregarum sequi teneatur Extraneus Princeps; Et quare Principum Imperii conditio ob actoris extranei personam debeat immutari. *Martin. Rumelin. ad A. B. p. 2. Dissert. 1. in append. tb. 4. Schubhard. de Austreg. tb. 4. lit. a. Jacob. Blum. Proc. Cam. tit. 27. n. 53. seq.*

- 24 Dictum autem superius Posit. 9. Electores & Principes indistinctè in Foro Austregarum conveniendos esse, sive ab æqualis gradus ordine, sive inferioris conveniantur. Hinc dubitare subit; An idem obtineat si Civitas municipalis, imo civis aliquis privatus ac rusticus



Principem convenire velit? Breviter sequentes ab invicem casus separandos putant; An præfatæ personæ proprium Principem, cuius subditi sunt, in jus vocare velint; an Extraneum Principem, cui subjectæ non sunt. Hoc posteriori casu, sine dubio asserendum, Principem in Foro Austregarum conveniendum esse, quamvis enim hoc à Maximiliano Imperatore in *Ordin. Cameral. de Anno 1495.* decisum non sit; Factum tamen hoc in *Ordin. Cam. de Anno 1500. Rubric. Wie Bürger und Bauren gegen Fürsten und Fürstnäßige Recht bekommen sollen/* ubi sancitur, quod Rustici ac Cives contra Principes, quibus subjecti non sunt, pari modo procedere possint, quo Comitibus ac Baronibus hoc permissum. Quod repetitum à Ferdinando I. in *Ordin. Camer. de Anno 1555. part. 2. tit. 4. §. fin. Jacob. Blum. Proc. Cam. d. 1. 27. n. 52.* qui quidem extendit ad Judæum Principem, cui subjectus non est, convenientem *d. 1. 27. n. 57.*

Aliud forte dicendum videbatur, si subditus aliquis vel Civitas<sup>35</sup> Municipalis Principem suum convenire velit, quod sc. eo casu subditus ad Forum Austregarum provocare non possit; Cum Jura Principi facultatem in propria causa judicandi permittant *L. 41. ff. de Hered. instit. & Bald. ad d. L. Dn. Struv. Syntagm. Exerc. 4. thes. 56. Hillig. in Donell. lib. 18. c. 2. lit. B.* Sed quia hoc Principes regulariter facere non solent, præsertim cum honestius sit, aliis litis definitionem committere *Dn. Brunneman. Com. Cod. ad L. un. ne quis in sua casus jud.* Veriorem existimamus sententiam, subditos hoc casu Principem in Foro Austregarum convenire posse, quod haud obscure probant verba *Ordinat. Cameral. p. 2. tit. 4. in fin.* ubi expresse dicitur, und sollen solche Austräge etc. auch mit den Bürgern/Bauren und andern Unterthanen gegen den Fürsten und Fürstnäßigen statt haben. Quæ verba aliam interpretationem commodè non admittunt, quam subditum, Principem suum convenire coram Austregis posse. Et hinc opinioni huic subscribunt *Dd. communiter Blum. Proc. Cam. d. 1. 27. n. 52. Mynsing. Cent. 5. obs. 1. num. 2. Garl. 1. obs. 1. num. 18. Wilhelm. Roding. Pandect. 1. 1. tit. 4. c. 3. pr. Petr. Frider. Mindan. de Process. 1. 1. c. 17. num. 9. Hartman Hartmanni ib. Obs. Pract. tit. 1. de Judic. Obs. 1. n. 8. Joach. Schepliz ad Consuet. March. p. 2. tit. 4. §. 1. num. 6.* quomodo vero hoc casu procedendum, hic inquirere non vacat, cum suffecerit, Principem hoc casu coram Austregis conveniri posse. Quod tamen ita temperandum merito; nisi Principes in suis Territoriis conventionem cum statibus Principalibus ini-



tâ, certa jam constituerint Tribunalia, ubi conveniri velint; In ple-  
risque enim locis jam tum subditis contra Principem acturis, hoc no-  
mine prospectum.

26 Hoc addo, parum referre, an Principes in Foro Austregarum  
conveniendi Regentes sint, an non. Nam & his ad Forum Austre-  
garum provocare licere, dubitandum non est: Primo quidem, ob  
Generalitatem Ordinationis Cameralis, ubi non tantum Principum,  
sed & Principali dignitate fulgentium mentio fit; hoc vero ad Prin-  
cipes actu ipso imperantes restringere velle, verba vix paterentur.  
Deinde vero, quia Privilegium Austregarum non Patrimoniale sed  
personale est, id est, competit Principi, non quia hunc vel illum Prin-  
cipatum possidet, sed quia Princeps est. Ut ea propter etiam Princeps  
Comitatum possidens, aut alia bona inferiora, nihilominus Foro Au-  
stregarum gaudeat; cum in Germania plurimum tribuatur generi  
atque sanguini. *Petr. Frider. Mindan. de Process. lib. 1. c. 19. num. fin.* Nec  
infringit præfata, quod in *Ordin. Camer. p. 2. t. 2. §. darauß* dicitur; *Es  
sol der Kläger vier Regierende Churfürsten oder Fürsten oder Fürste-  
mäßigen nennen/* quod enim hic de Principibus regentibus habetur,  
ultra suos terminos minime extendendum. Non enim in allegato  
loco Imp. Ferdin. sermo est de Principe conveniendo, sed de Princi-  
pe in iudicem eligendo, hic regens esse debet, non ille *Jac. Blam. Proc.  
Camer. d. t. 27. num. 43. Georg. Schubhard. de Austreg. th. 3. lit. H.* Non ta-  
men generaliter hoc intellectum velim, quod personale Austrega-  
rum Forum dicebam, hoc enim ad Principes seu personas seculares  
restringendum. In Ecclesiasticis alia ratio est; Hæ enim non in-  
tuitu personæ, sed ratione possessionum suarum capaces sunt Au-  
stregarum.

27 Jam ad illos progrediendum, qui in secunda Classe Forum co-  
ram Austregis sortiuntur. Sunt autem hi Prælati, Comites, Baro-  
nes, & Nobiles Imperii immediati. Per Prælatos autem intelligimus  
Abbatas, Præpositos, & Abbatissas, Feuda ab Imperio possidentes, &  
ea propter Imperio immediatè subjectos: Qui enim mediatè Impe-  
rio subjecti sunt, Principibus, in quorum territorio domicilia & pos-  
siones habent, subsunt per *Ord. Camer. P. 2. t. 5. §. fin. Reinking. lib. 1.  
Class. 5. c. 10. num. 24.* Non tamen eos Abbatas vel Prælatos hic com-  
prehendimus, qui ad Principalem dignitatem evecti *Gefürstete* debite  
inter quos primo loco referri solet Abbas Fuldenfis *Reinking. lib. 3. c. 1. 2.*



cap. 3. num. 32. alios vero, qui huc pertinent, ut Abbatem Hirschfeldensem, Murbacensem, Campidonensem &c. recenset *Paul. Matth. Wehner. Thesaur. Pract. sub voce Stand des Reichs. Paurmeister de Jurisdic. lib. 2. c. 1. num. 17.* Hi ipsi ergo quoad Forum Austregarum sine dubio primæ Classi adscribendi. Sed alios immediatos huc referimus, qui ad Principalem dignitatem non evecti. Et his Prælati annumerantur quoque Commendatarii Provinciales immediati, qualis est Confluentinus zu Cobelenz item Alsatia & Burgundia die Land-Commenthur der Valley Elsas und Burgund *Reinking. d. c. 2. num. 42. Wehner. d. l.* qui in sequentibus quoque Comites & Barones immediate Imperio subjectos, & per consequens Foro Austregarum gaudentes recenset.

Cæterum quod ad secundam Classem attinet, non omni casu ad hanc relati Foro Austregarum gaudere videntur Sed tres casus ab invicem separandi! Aut enim conveniuntur à sui Ordinis Viris aut à primi Ordinis, aut inferioribus Civitatibus sc. vel aliis subditis mediatis. Prioribus duobus casibus Foro Austregarum gaudent, juxta modum procedendi in *Ordin. Cam. p. 2. 1. 3. & 5.* præscriptum. Ultimo vero casu cessat Forum Austregarum, dum in prima statim instantia in Camera conveniri possunt *Matth. Stephan. de jurisd. lib. 2. p. 1. c. 3. M. 3. num. 36.* Rationem hanc reddit *Stephan. d. l.* Quia hic casus in ordin. Camerali, determinatus non est, hinc standum esse juri Communi. Aliam dat *Limn. de J. P. 1. 9. c. 5. n. 25.* quia Austregæ sunt Juris strictissimi *Jos. Nolden. de Stat. Nobil. th. 153. & quos ibi citat.* & hinc ultra casum expressum non extendendæ; quam habet etiam *Frider. de procil. 1. cap. 18. num. 5.* Agnoscit rationum varietatem *Georg. Schubhard. th. 4. lit. b.* hinc dicit, quod sufficiat ita constitutum esse. Sed exactius hoc perpendenti vix suffecerint præfatæ rationes. Quippe prima si admitteretur, facili negotio contrarium evincere liceret, semper Prælatos & Comites &c. coram Austregis conveniendos esse, cum Actor Jure Communi in genere sequatur forum rei; Forum autem Austregarum Prælati & Comitibus concessum! Ergo hic quoque indistinctè conveniendi, dum casus præsens nullibi in Ordinatione Camerali est expressus. Secunda ratio si admittenda, evinceret, nec Regem Bohemiam ad Austregas admittendum. Imo hoc manifesto falsum redderet, quod Principem Imperii ab extraneo etiam in Foro Austregarum conveniendum esse, superius asserueram quia hic casus nullibi expressus



28  
 pressus *vid. posu. 22. & seq.* Tertiam Schubhardi opinionem sufficere sc. ita constitutum esse, facilius forsan admitterem, si modo quid statutum esset; Ast cum nulla hujus casus in Ordin. Cam. decisio reperitur, dolemus, quod nihil constitutum sit. Unde etiam haud difficulter aliquis à nobis transitum in contrariæ Sententiæ castra impetraret. Scilicet & hoc casu Civem vel rusticum, si Comitem vel Baronem immediatum convenire velit, coram Austregis, non verò Camera hoc facere debere. Retinebimus tamen opinionem priorem, in Praxi receptam, ac in Camera præjudiciis probatam, teste *Mynsing. cent. 1. obs. 89. Gail. lib. 1. obs. 1. num. 17. & 46. Frid. d. 1.* Pro qua hæc ratio facere poterat, quod magis favendum sit illis qui in prima Classe constituti, quam his qui in secunda; Et hoc ob illorum majorem dignitatem & præminentiam *d. 1. n. 6.*

29  
 Quomodo vero in Classe secunda pro varietate Actorum modus procedendi in Foro Austregarum se habeat, id propositi nostri non est; ut præsentis Disputatione examinemus; Potius dubium sequens circa secundam Classem moveri solitum, hic discutiendum. An ob mortem Prælati vacans capitulum immediatum Foro Austregarum gaudeat? Negat hoc *Gail. 1. obs. 30. num. 3.* ex subjuncta ratione, quia Capitulum non est Status Imperii, quam sententiam etiam tuetur *Suanman. lib. 1. obs. cam. 19.* Affirmativam tamen plures evincunt & rationes & Dd. Primo enim sede vacante Jurisdictionem Episcopalem Capitulo competere, quæ competeat Prælato adhuc in vivis existente prolixè probat *Nicol. Myler. in addit. ad Mart. Rumelin. ad A. B. P. 2. D. 1. in appenp. th. 3.* quorsum spectat *c. un. de Major. & obed. in 6.* Deinde vero Capitulum tale Sede vacante ad Comitatus vocatur, ac per suos Alegatos comparens, ad sessionem admittitur, quod ex subscriptionibus Recessuum Imperii patet *Arum. de Comit. c. 4. num. 105. Paurmeist. de Jurisd. l. 2. c. 9. n. 117. Blum. proc. Cam. t. 26. n. 46. Limn. de J. P. l. 9. c. 5. Rumelin. ad A. B. d. 1. Petr. Frider. l. 1. de Process. c. 17. Ilico Umm. disp. 4. ad Process. th. 40. Arum. ad A. B. Discurs. 1. th. 24.* Quid vero ad Gailii rationem pro contraria opinione propositam, reponendum, ex illis, quæ thes. XVII. dicta, abunde patescit.

30  
 De Nobilibus Imperii immediatis dubitari adhuc posset? sed otiosum fuerit contra manifestum textum in Ord. Cam. disputare; ubi expresse Forum Austregarum illis perinde, ut Comitibus & Baronibus indultum. Dicuntur autem Nobiles immediati illi, qui nemi-

nem



nem Imperii Principum, sed solum Imper. agnoscunt superio-  
rem, so dem Reich ohne Mittel / und keinem andern Fürsten oder  
Herrn unterworfen Recess. Imper. de Anno 1542. §. dergleichen.  
Cujus generis Nobiles reperiuntur in Svevia Franconia & ad  
tractum Rheni; die Fränckische Schwäbische / Rheinische Ritter-  
schafft qui ob hanc causam etiam appellari solent freye von Adel / oder  
freue Ritterschafft. De quo vid. *Besold. Thesaur. Pract. sub verb. Freye  
Reichs-Ritterschafft.* Et hos ipsos Nobiles aliqui Statibus Imperii  
annumerare volunt, præsertim cum ex A. B. in fin. proæm. pateat, No-  
biles etiam Comitibus Noribergensibus interfuisse, de quo *Gerlac. Bux-  
torff. ad A. B. Concl. 5. tit. C.* Hodie tamen certum eos ad Comitiam am-  
plius non vocari, nec Statibus Imperii propriè sic dictis accenseri.  
*Reinking. de R. S. & E. lib. 1. class. 5. c. 10. num. 8. & 13. Jostas Nolden. de Stat.  
Nobil. Civil. c. 16. n. 150.* Non tamen ea propter Foro Austregarum pri-  
vandi, quia immediati sunt, & tenor Constitutionis Imp. in Ordin.  
Cam. pro ipsis militat expresse.

Jam quoad tertiam Ordinum Imperii Classem paucis videbi- 31  
mus; An Civitates Imperiales ad Privilegiatum hoc Austregarum  
Forum sint admittendæ; Quod externo obtutu affirmari poterat;  
Primo enim in *Ord. Cam. p. 2. t. 4.* in ipso rubro Civitatum mentio fit,  
quod idem in nigro statim ab initio repetitur, die von Adel oder Städt.  
Secundo hoc vel maxime affirmativam evincere valebit, quod Civi-  
tates Imperiales non tantum sint immediatæ, sed & Statibus Impe-  
rii annumerentur, ex ratione evidenti, quia votum & sessionem in  
comitiis habent; sicut hoc subscriptiones Recessum Imperii abunde  
probant; Imò Civitates sub hac formula mit und neben allen andern  
Ständen helfen handeln / rathschlagen und schliessen ad Comitiam voca-  
cari testatur *Heinric. Bruning. de var. Univers. Spec. Concl. 18.* Ex hoc au-  
tem comitiorum jure inducitur quasi possessio Status Imperii *Andr.  
Knichen. de Jure Territor. c. 3. n. 164.* Hinc Jura territorialia perinde quoad  
suum territorium, quam Princeps Imperii quoad suum Principatum,  
exercent. *Thom. Mich. de Jurisd. Concl. 44. lit. G. Gail. 2. Obs. 57. n. 7.* Quod  
uberius deducit *Bruning. d. loc. Concl. 19.* Si ergo Status Imperii sunt,  
non minori reliquis Statibus jure etiam quoad Austregarum Forum  
gaudere debebunt. Imò si Nobilibus immediatis hoc Forum conce-  
ditur, ratio quare Civitatibus idem denegandum, non apparet.  
Vix tamen suffecerint præfatæ rationes pro Foro Austregarum 32



Civitatibus Imperialibus tribuendo; Dum enim Privilegiatum hoc forum est, illis competit, qui Privilegio comprehensi. Atqui Civitatum Imperialium nullibi mentio fit in *Ordinat. Cam.* merito E. ab hoc privilegiato foro excluduntur. Nec facit quicquam locus antea allegatus *O. C. P. 2. t. 4.* ibi enim non hac intentione Civitatum mentio facta, quasi iisdem Forum Austregarum concessum, sed sermo ibi est de Civitatibus, alios, Principes scil. Comitesve convenientibus, quod actionem in Foro Austregarum institueri debeant: De Civitatibus v. conveniendis inibi nihil dispositum. Deinde parum movet, quod Statibus Imperii annumerentur Civitates Imperiales. Connexionis enim ratio semper nobis suspecta visa fuit. Est Status Imperii, ergo gaudet Foro Austregarum: quod jam superius Th. xvii, probatum. Unde Dd. ad unum fere omnes Forum Austregarum Civitatibus denegant, & easdem in Camera statim conveniri debere asserunt. Reinking. *de R. S. & E. l. 2. Class. 2. c. 16. n. 12. Matth. Stephan. de Jurisd. lib. 2. P. 1. c. 3. membr. 3. n. 37. Ilico Umm. de Process. Disp. 4. th. 48.* Excipiendæ tamen utique sunt illæ Civitates, quibus speciali Privilegio Austregarum Forum indultum, quod Privilegium si ab ipsis probatum fuerit, nam non præsumitur, utique Cameræ jurisdictionem tam diu deflectere possunt, donec coram Austregis res fuerit ventilata. Inter has Civitates refertur Noriberga, Argentina, Ratisbona, Suinfurtum, & aliæ quas recenset *Umm. d. th. 48. Limn. d. J. P. l. 9. cap. 5. n. 16. Frider. lib. 1. de Process. c. 19. n. 21.* Quarum civitatum privilegia integra hoc nomine concessa fere omnia recenset *Paul, Matth. Wehner. tract. de mod. appell. in Camer. c. 7.*

33 Hæc de Ordinibus Austregarum Forum ut competens agnoscentibus dicta sufficiant. Paucis subjiciendum; An omnes causæ Statuum in foro hoc privilegiato ventilari possint? In Constitutionibus Imperii sigillatim hæc quæstio determinata non est, sed potius generaliter in *Ord. Camer. P. 2. t. 2. pr.* dicitur; um *Spruch und Forderung / die einer zum andern hat / oder gewünne.* Ex quo generalem hanc Regulam format *Limn. de I. P. lib. 9. c. 5. n. 60.* Immediatum, cui Jus Austregarum datum est, in omnibus causis conveniendum esse in prima instantia coram Austregarum Judicibus nisi expressæ quædam causæ reperiantur exceptæ. Non tamen peccaverim, si huic generali Regulæ restrictionem sequentem addiderim, sc. in omnibus causis civilibus. Vix enim laxiorem interpretationem admittunt voces illæ *Spruch und Forderung* ut hinc meritò ad has solas restringendæ;

Unde



Unde statim controversa resultat quæstio; An etiam causæ Crimi-  
nales ad Forum Austregarum spectent; sive an Princeps delinquens co-  
ram Austregis sit conveniendus? Affirmat hoc *Limn. d. c. 5. n. 63.* & quos  
pro sua sententia inibi citat. Sed pro contraria opinione nec Autores de-  
sunt nec rationes. Eandem enim defendunt *Reinking. de R. S. & E. lib. 2.*  
*class. 2. c. 16. num. 24. Ruland. de Commiss. P. 1. lib. 2. c. 3. Schubhard. de Au-*  
*streg. th. 5. Lit. A. Rumelin. ad A. B. P. 2. dissert. 1. in append. thes. 5.* Ra-  
tiones vero hæ potissimum sunt (1.) Quia causæ Criminales specialem re-  
quirunt concessionem *L. 1. ff. de off. ei cui mand. Jurisd.* (2.) Quia hic  
cessat ratio Austregarum inductiva, cum in criminalibus appellatio ad  
Cameram non permittatur. *per Recess. Imper. Augustanum de Anno 1530.*  
*S. item als iekt etliche Zeit hero.* Nec interest, an ordinaria appellationis  
viâ agam, an vero per viam simplicis querelæ procedam. Et quamvis ca-  
sus nullitatis excipiatur, attamen nec tunc Camera judicat, sed iudex  
tantum nullitatem coram Camera purgat.

Sed quia neutra Prædictarum rationum Dn Limnæo sufficit, dum  
utramque rationibus contrariis infringit; videndum quid regectionis  
loco responsionibus Limnæi, pace tamen Tanti Viri, opponi possit. Pri-  
mam rationem negat propterea (1.) quia concessio genere, singulæ quo-  
que causarum species concessæ præsumantur. Ergo dum generaliter  
Jurisdictio Austregis concessa; Criminalis quoque per consequens  
concessa erit. (2.) Ad *L. 1. ff. de off. ex cui mandat. jurisdiction.*  
*respond. ibide mandata, non data jurisdictione sermonem esse,*  
ergo huc referri minime posse. (3.) Ius super dubium non esse, Imp.  
Criminalem jurisdictionem transferre potuisse, ut hinc tantum volunta-  
tis quæstio inde resultet; An per Ord. Cam. in Austregas videatur trans-  
tulisse, & hoc ob generalitatem varius videri. Sed quod primum atti-  
net concessio genere, singulæ species concessæ intelliguntur; hoc re-  
stringendum ad eas species, quæ peræque sub genere continentur; jam  
verò merum Imperium Jure Civili species jurisdictionis propriè acceptæ  
non est; Sed est quid Jurisdictioni cohærens Dn. *Hahn. ad Wesemb. tit.*  
*de jurisd. n. in 7. fin.* Hinc facile hic admitti potest exceptio. Dixeris  
forte, atqui hodie tamen merum Imperium cum omni-moda Jurisdi-  
ctione alicui concessa transire. *Hahn. d. l. p. 163.* Nego tamen Austre-  
gis omni-modam jurisdictionem esse concessam; verba enim *die Spruch*  
*und Forderung so einer zum andern hat* non involvere omnimodam  
jurisdictionem certum est, nec vix aliis, nisi Civilibus Causis applicabun-  
tur; In Criminali enim causa non privatum interesse persequimur, non



quod quisque alteri debet, sed quod quisque Reip. debet, ob publicum illud interesse de vindicandis delictis. Hoc verò publicum interesse comprehensum velle zu denen Sprüchen und Forderungen / so einer zum andern hat / proprietatis verborum vix admitteret. Unde eo calu non facile contradicerem, si Princeps ex delicto Civiliter conveniendus foret, quod hæc actio coram Austregis sit instituenda. Hic enim de interesse privato sermo verteretur, nec mero imperio talis cognitio adscribenda.

36 Quod verò Dn. Limnæus ad L. 1. ff. de off. ex cui mand. Jurisd. respondet, eandem de mandata Jurisdictione loqui, facile largior; Eandem tamen ea propter hic allegari non posse, vix concesserim. Argumentum enim certissimum ex d. l. formare licet: Quæcunque speciali constitutione Principum tribuuntur, illa sub generali Jurisdictionis concessionem vel dationem non veniunt. Atque subsumo ex præfata Lege; Merum Imperium ex speciali Constitutione Principis tribuitur; Ergo sub generali Jurisdictionis concessionem non veniet. Majorem commode negari posse non puto; Opposita enim hæc ipsa sunt; speciali Principis concessionem conferri debere; Et sub generali concessionem venire. Quapropter illo præsuppositio, hoc sine dubio negandum. Minorem verò apprimè probat Lex allegata; de quacunque enim Jurisdictione ea explicetur, hoc tamen inde stat immotum, speciali concessionem quoad omnem illum, qui mero Imperio uti velit, opus esse. Quod verò tertio Dn. Limnæus respondet, hic voluntatis esse quæstionem, facile concedimus. Eam voluntatem vero per verba hæc indefinita in Ordinat. Cam. expressa certam esse, utiq; negamus, sicut hoc ex iis quæ thesi præcedente dicta sunt; evidens est.

37 Ad alteram negantium rationem Posit. 34. adductam respondet Dn. Limnæus, primò negando. rationem inductivam Austregarum esse, ut Principum Imperii causæ in pluribus instantiis ventilari possint, sed de hoc jam superius dictum. Deinde dicit nec hoc universale esse, quod coram Austregis ex tantum causæ ventilentur, quæ per appellationem ad Cameram devolvi possunt; cum non indistinctè ab Austregis ad Cameram appelletur; quod probare nititur ex Ord. Cam. P. 2. tit. 2. s. dar's auff junct. d. p. 2. tit. 28. Sed ex his textibus nihil probatur, potius in d. 1. 2. s. darauff indistinctè ad Cameram Imperialem ab Austregis conceditur appellatio; Et quamvis Imp. in d. s. semet remittat ad P. 2. O. C. 1. 28. inde tamen nihil aliud colligere licebit; quam toties appellacionem esse permissam ab Austregis, quoties causæ levitas, vel summæ petitæ quantitas



titas eandem non repudiaverit, de quo in *d. r. 28. §.* und sonderlich. Ut inde meritò firmo talo stet propositio: De qua causa non ob negotii levitatem, sed ob negotii qualitatem Camera per appellationem non cognoscit, illa nec coram Austregis ventilanda. Nam quare Austregas beneficium primæ instantiæ vocaremus, si secunda instantia nulla adesset. Er, in causis criminalibus prima instantia non est opus, cum Camera de iisdem non cognoscat in instantia secunda.

Et pro hac ipsa decisione negativa uberius comprobanda haud leve 38  
argumentum deduci potest ex *O. C. p. 2. t. 2. princ.* ubi statuitur, quod si Principum aliqui Austregas Conventionales habeant, coram his litem determinare debeant; His verò si destituantur, demum ad Austregas privilegiatas recurrendum esse. Si itaque causa Criminalis ad Austregas spectat, sequitur, quod ea etiam in Foro Austregarum Conventionalium ventilari debeat; cujus propositionis cunnexio abunde patet ex *O. C.*, cum in conveniendis Principibus prior Conventionalium Austregarum ratio habeatur. Atqui falsum est posterius; Ergo & prius. Probo subsumptum; quia Austregæ Conventionales à iudicio compromisso vel arbitrio parum aut nihil differunt, prout supra evictum th. VI. Jam verò de causis Criminalibus compromitti non posse & Juribus & Doctoribus probata opinio est, per *L. 32. §. 6. ff. de Recept. arbitr. Dn. Struv. Syntagm. Exerc. 8. th. 100. Petr. Gregor. Tholos. lib. 47. c. 39. n. 9. Donell. lib. 28. c. 10. lit. g.* Cœterum ubi verò Princeps delinquens conveniendus, id explicuisse uti hujus loci non est, ita nec paginarum angustia permittit; Cui volupe est, legat hac de re *Rumelin. ad A. B. P. 2. Dissert. 1. in append. th. 2. & ibi Nicol. Myler. in addit. lit. e.* & quos in ibi citatos videbit.

Sed quid de Causa matrimoniali inter Principes Imperii agitata, annon & hæc coram Austregis ventilari debebit? Doctores ut in præcedenti, sicut & in hac Controversia secessum faciunt ab invicem. Forum Austregarum & in hac causa matrimoniali competens esse, asserit *Dn. Limn. de J. P. l. 4. c. 8. n. 96. Illico Umm. de Process. D. 4. th. 10. n. 52. Petr. Frider. de proc. l. 1. c. 10. n. 4. Ziegler. ad Prax. Calvol. §. Austrega Conclus. 2. seqq.* Rationem potissimam collocant in Generalitate Constitutionis Austregarum. Sed eadem responsio, quæ in præcedenti quæstione data, hic quoque repetenda. Hoc confitentur pleriq; Camera quoad causas matrimoniales fundatam jurisdictionem non habere; Hinc causas matrimoniales in ibi rejectas esse testatur *Petr. Denais. de Jur. Cam. tit. 187. Limn. d. l. n. 91.* Deinde hoc negare nemo valuerit, Imp. Maximiliano, & Ferdi-



nando Austregarum Constitutionibus ex opinione illius seculi facultatem judicandi in Causis Matrimonialibus (quia causa Matrimonialis ut Spirituality, pro qua Jure Canonico habetur, ad Ecclesiasticos Judices ex opinione illius seculi, spectabat) non competiisse; non itaq; quod Juris ipsi non habuere, in Judices Austregarum transtulisse præsumuntur. Unde hoc facile liquet, Causas Matrimoniales in Foro Austregarum ventilandas non esse; quam sententiam ut veriore tuetur *Reinking. de R. S. & E. l. 3. Class. 1. c. 10. n. 34. Schubhard. d. th. 5. in fin.* Ubi ergò illæ causæ expediendæ? Sanè coram proprio Consistorio Principes causas suas matrimoniales tractare posse, prolixè probat ac deducit *Dn. Myler. ab Ehrenbach / Gamolog. Princip. Imper. cap. 8. n. 8. seqq.*

40 Ultimo loco de Causis Feudalibus dubitatio incidit, an hæ quoq; in Foro Austregarum ventilandæ? De Feudis majoribus Principatu, Ducatu, Comitatu res decisa est in *O. C. P. 2. t. 7.* ubi disponitur, quod de ejusmodi litibus solus Imp. vel eo absente Rex Romanorum judicare debeat, de quo *Gail. 1. obs. 1. n. 31.* Sæpius tamen ad has causas decidendas Principes Imperii adhiberi solent *Dn. Struv. Syntagm. Jur. Feud. c. 16. th. 5. n. 3.* An autem hoc necessitatis sit, ut adhibeantur Principes Imperii, an spontaneæ voluntatis: dissentiunt *Dd.* Illud asserit *Limn. d. I. P. l. 2. c. 9. n. 32. & 55.* Hoc verò defendit *Arum. Discurs. 3. ad A. B. th. 41. Carpzov. de Leg. Reg. Germ. c. 9. Sect. 12. n. 27. Reinking. de R. S. & E. lib. 1. cl. 4. c. 14.* quod forte verius existimamus, ob textum in *O. C. P. 2. t. 7.* sed hoc hujus loci non est. Si verò de minoribus Feudis controversia occurrat, nec sic in Foro Austregarum res decidenda erit, sed potius ad pares Curia negotii decisio deferenda, quippe qui ex speciali Juris Feudalis dispositione in tali causa judicandi facultatem sibi concessam habent *2. F. 16. 39. §. si inter. & 2. F. 46. vid. Dn. Struv. d. c. 16. th. 6.* unde *Dd.* communiter ferè consentiunt, causas Feudales in Foro Austregarum ventilandas non esse *Heinr. à Rosent. d. feud. c. 12. Concl. 1. n. 27. Gail. lib. 1. obs. 1. n. 54. Struv. d. c. 16. th. 5. n. 5. Limn. do I. P. l. 9. c. 5. n. 76.* De cætero hoc Forum Austregarum non extenditur ad causas fractæ pacis, tam Religiosæ per *Rec. Imp. de Anno 1555. §. Wir befehlen / quam profanæ P. 2. Ord. Cam. Tit. 9.* Nec ad causas I. Diffamari. *O. C. P. 2. Tit. 25.* Pignorationis *O. C. d. P. 2. tit. 22.* Arrestorum *R. I. de Anno 1570. §. Wann denn auch die Arresta* Litigiosæ possessionis. *O. C. P. 2. T. 21.* relaxationis juramenti ad effectum agendi *O. C. P. 2. T. 24.* denegatæ vel protractæ justitiæ *O. C. P. 2. T. 26.* Nec ad causas Fiscales. *O. C. P. 2. Tit. 30.* Quando ulterius cessent Austregæ, vid. ap. *Schubhard. Tr. de Austreg. c. 9.*

T A N T U M.



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

**Kodak**  
LICENSED PRODUCT

**KODAK Color Control Patches** © The Tiffen Company, 2000

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

